





177

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is written in a cursive script and is mostly obscured by the paper's texture and shadows.]



1714.

1. Engelbrecht, Johannes Wilhelmus: Programma lectio-
narius . . . Johanni Christiani Wistari habendæ
præmissum . . .
2. Engelbrecht, Joh. Wilhelmus: Resolutiones quorundam
casuum juris practeorum.
3. Engelbrecht, Johannes Wilhelmus: De præsumptione pro
Clero. 2 Exempl. 1714 à 1740.
4. Imhoff, Ferd. Lazarus Mauritius: An non omnes
contractus juxta usum fori Germanici sint constan-
tiales? .?
5. Leyserus, Augustinus: De revocatione Electoris
2 Exempl.
6. Leyserus, Augustinus: De injusta in homicidio
in Julgentia
7. Tréner, Gottlob Samuel: Oratio de harmonia fun-
damento felicitatis academiarum.

1715

1. Bötticher, Andreas Tobias : De methodo medicandi generati
2. Ingebricht, Johann Wilhelmus : Casuum atque juris selectio-
tionum resolutiones
3. Ingebricht, Johann Wilhelmus : De remissione peccatorum
Dissertatio.
4. Leyserus, Augustinus : De jure litigandi omnibus
alienis
5. Schmidtus, Joh. Andreas : De notariis ecclesialibus
fidei orientalis fidei occidentalis Dissertationum
Lingua. Lipsiae Venus ed. 1756.
6. Schmidtus, Jo. Lud. : Translationem episcopi ab eccle-
sia majori et minori occasione concilio primi
concilii Sardicenis ... disquisitionis subjicit
7. Trues, Gottlob Samuel : De crimine alieni venenosis

8. Winter, Fr. Christ: de silentio.

PROGRAMMA

LECTIONIBUS CURSORIIS

IOHANNIS CHRYSOSTOMI

PROGRAMMA

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



10029

55.

1714, 6^a

7

Q. D. B. V.

DE

REVOCATIONE ELECTIONIS

DIRECTORE ACADEMIAE IVLIAE
MAGNIFICENTISSIMO

GEORGIO LVDOVICO

POTENTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE
REGE ET BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVR-
GENSIVM PRINCIPE ELECTORE

PRAESIDE

AVGVSTINO LEYSERO

IVRIVM IN ACADEMIA IVLIA
DOCTORE ET PROFESSORE
ORDINARIO

PVBlice DISPVTABIT

MAXIMILIANVS HENR. IOSEPHVS BRVNS
HILDESIO SAXO

DIE DECEMBRIS ANNI MDCCXIV.

HELMSTADII,

TYPIS GEORG. WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.



*VIRIS ILLUSTRIBVS ATQVE EX-
CELLENTISSIMIS*

**IO. GOTHOFREDO
WENTZLER**

SERENISSIMI ATQVE REVERENDISSIMI
PRINCIPIS ELECTORIS COLONIENSIS ET
EPISCOPI HILDESIENSIS IN EPISCOPATV
HILDESIENSI VICECANCELLARIO ET
CONSISTORII GENERALIS
PRAESIDI &c. &c.

NEC NON

**CASPARO FRANCKEN
DE SIERSTORFF,**

EIVSDEM PRINCIPIS ELECTORIS
IN REGIMINE HILDESIENSI CONSILIARIO
INTIMO, OFFICIO LATVS TAM SECVLARIS
QVAM ECCLESIASTICI ASSESSORI
ET CAMERAE CONSV-
LENTI

*DOMINIS SVIS, PATRONIS ATQVE
VTTORIBVS OMNI OBSERVANTIA
COLENDIS,*

SALVTEM DICIT

MAXIMILIANVS HENR. IOSEPHVS BRVNS.



VIRI ILLVSTRES,

Qui mihi huc usque ut filio favistis, opeque & consilio Vestro salutem meam egregie stabilivistis, meremini tandem, ut publicum a me grati animi documentum accipiatis. Diu sollicitus fui, quid afferrem Vobis, ex quo non ipsi solum, sed omnes magnitudinem obligationis mea pro infinitis beneficiis Vestris cognoscerent. Scio equidem, rem nullam esse, qua & officio meo & voluntati satisfacere possit. Sed erit tamen aliquid, quod Vobis pro singulari erga me amore & benevolentia non displicebit. Tandem primitia studiorum meorum, quorum curam ab ineunte pueritia mea providentissime habuistis, aptissima mihi visa sunt, quas observantia mea constituerem monumentum. Ex his enim, quod certo mihi persuadeo, non

) (2

sine

sine aliqua delectatione intelligetis, gubernationem
& tutelam iuventutis meae, quam summa cum
prudencia gessistis, non inutilem prorsus fuisse.
Animadvertetis simul, me omnem, quamcunque
mibi in iure & bonis literis comparavi, doctri-
nam & Vestra de me sollicitudini attribucere &
pro Vobis iterum impendere paratum esse. Ac-
cipite igitur ea, qua consuevistis, humanitate
tenue hoc munusculum, illudque non ex pretio
suo, quod profecto nullum aut exiguum est, sed ex
animo meo metimini & aestimate. Pergite porro
me amare, vitamque meam monitis Vestris &
consiliis gubernare. Ego id semper, quod Vos
optimum putabitis, sequar, & benevolentiam
Vestram pietate, obsequio & officiis pensabo.
Quod superest, Deum veneror immortalem, ut
in Vestra incolumitate salutem patriae diu
conseruet. Valet.





SVMMA DISSERTATIONIS CAPITA.

1. Electio & optio non differunt invicem.
2. Controversia, qua ad legatum electionis pertinet, deciditur.
3. Casus, in quibus iura electionem permittunt, enumerantur.
4. Electio revocari nequit.
5. Traduntur exceptiones ab hac regula.
6. Creditor, etsi ex pluribus correat unum elegerit, tamen hoc relicto alterum convenire potest.
7. Nos hic de electione a collegio ad munus vacuum facta agimus.
8. Sententia eorum, qui electum officialem quocunque tempore dimitti posse putant,
9. refellitur.
10. Cause, ob quas electio revocari potest, ad quatuor classes referuntur.
11. I. quando electio est imperfecta, ut, si electores nondum congregati suffragia intulerunt,
12. aut electionem factam electo nondum significarunt.
13. Responsum Ictorum Helmstadiensium.
14. II. quando electio est vitiosa.
15. Electio, ad quam unum collegii membrum vocatum non est, recte revocatur,
16. Id quod in electione Imperatoris quoque locum habet.
17. Nec illi quidem, qui uni candidatorum sanguine innecti sunt, omitti possunt.

18. Si electio ex hoc capite impugnetur, quis probare debeat disquiratur.
19. Electio vitiosa est, in qua dua tertia electorum partes presentes non fuerunt,
20. item, ad quam vocatus non est, qui ius, ut electio in eius presentia celebraretur, habet,
21. nec non ea, cui interfuerunt, qui interesse non debebant,
22. Et, quam electores, non expectata superioris convocatione celebrarunt.
23. Electio a maiore parte facta revocari nequit ideo, quod dissentientes saniores sint.
24. Revocatur electio vi metuque extorta,
25. item turbulenta, ut qua sit per conspirationem,
26. aut ad clamorem populi,
27. nec non clandestina,
28. Et qua per sortes fit,
29. vel sede non vacante,
30. vel per simoniam.
31. Ipsi electores electionem a se factam tanquam simoniacam revocare nequeunt.
32. Calor iracundia non est iusta revocandi electionem causa.
33. Electores, qui in electione suffragia sua suspenderunt, factam a reliquis impugnare nequeunt.
34. De electione a procuratore contra voluntatem domini facta.
35. Electio ideo impugnari nequit, quod talis, qualis huc usque consuevit, electus non sit.
36. III. ob qualitatem aut factum electi, ut si is sit indignus.
37. Propter repertum magis dignum electio revocari nequit.
38. Inquisitus super crimine famoso, qui abolitionem a principe redemit, indignus non est.
39. Revocatur electio ob moram electi.
40. IV. ex voluntate superioris, si hic confirmationem deneget, quod tamen sine iusta causa non potest.
41. Revocatur electio contra prohibitionem superioris facta,
42. item si electus administrare ceperit ante obiectam confirmationem.

I.

Frequens fit in iure nostro electionis mentio, variaque eius genera a Ictis enumerantur. Quæ omnia colligere, nostri iam non est instituti. Memorari tamen debet legatum electionis, de quo integer in *τ.* extat titulus *de Optione vel electione legata*, cum scilicet testator cuidam permittit, ex rebus a se relictis unam vel plures optare. Circa inscriptionem istius tituli varie se torquent interpretes, differentiam inter electionem & optionem reperturi. Nonnulli eas ita distinguunt, ut electionem de pluribus, optionem de duobus dici putent. At falluntur. Nam & optio de pluribus prædicatur, ut ex *L. 2. §. 3. de Opt. vel elect. leg.* apparet. Alii optionem expresse, electionem tacite relinquere existimant. Sed errant etiam. Electionem enim expresse quoque legari, *L. 6. & 19. de Opt. vel elect. leg.* satis indicat. Plerique vero optionem ab electione in eo diversam fuisse contendunt, quod illa actus legitimus fuerit *L. 77. de Reg. iuris* adeoque solemniter ab ipso legatario, non per procuratorem fieri debuerit *L. 123. de Reg. iuris*, electio vero nihil solemnitatis desideraverit. At nec hoc discrimen in iure nostro fundatum est, cum ex *L. 3. §. 6. Ad. exhib. L. 5. de Legatis* aliisque plurimis pateat, veteres Ictos ipsos optionem & electionem pro synonymis habuisse & promiscue posuisse. Itaque nos quoque, nihil inter optionem & electionem interesse, credimus, sed, utramque idem significare, securi affirmamus.

II.

Dum de electionis legato agimus, non possumus, quin insignem circa illud controversiam ex *Cornificii ad Herennium libro 1.* desumptam hic proponamus. *Paterfamilias*, ut *Cornificii* verbis utar, cum filium heredem faceret, testamento *vasa argentea uxori legavit, hoc modo: Tullius heres meus Terentia uxori meæ XXX. pondo vasorum argenteorum dato, que volet. Post mortem eius vasa pretiosa & calata magnifice illa petit. Tullius se, que*

velit ipse XXX. pondo, et debere dicit. Eandem quaestionem iisdem fere verbis proponit Cicero de Inventione libro 2. Uterque autem illam indecisam relinquit. Nos igitur, operæ pretium nos facturos, putamus, si eam ex æquitatis & iuris nostris principiis decidamus. Secundum hæc vero, electionem non Terentiæ uxori, sed Tullio heredi, competiisse, arbitramur. Si enim, quod Cicero eo ipso loco præcipit, observemus, & non ipsa separatim ex se verba consideremus, sed totam scripturam omnibus ex partibus pertentemus, facile, quid verosimile sit testatorem voluisse, intelligemus. Direxit ille integram orationem non ad legatariam sed heredem. Non illam sumere, sed hunc dare iussit. Itaque probabile est, verba quoque illa, *quæ volet*, ad heredem pertinere. Convenit hæc interpretatio nostra sententiæ *Vlpiani in tit. 24. §. 14. & Pomponii in L. 43. §. 3. de Legatis 2.*

III.

Sed præter hoc electionis legatum iura nostra aliis quoque in casibus eligendi facultatem tribuunt. Sic in alternativis obligationibus debitoris est, eligere, quid præstare velit *c. 70. de Reg. iuris in sexto L. 10. §. 6. de Jure dotium*. Pupillo qui facti tutoris læsus est electio tribuitur, utrum in integrum restitui, an contra tutorem agere malit *L. 5. C. Si iur. vel cur. interv.* In læsione ultra dimidium lædenti liberum est, vel emendare læsionem, vel a contractu recedere *L. 2. C. de Rescind. vend.* Legatario inter plures, quæ ex legato deicendunt, actiones electio permittitur *L. 76. §. 8. de Legatis 2.* Actoris arbitrium est, reum, qui diversa fora agnoscit, in eo, quod magis placuerit, convenire *L. 2. §. 3. de Eo, quod certo loco*. Is, qui cum magistro navis contraxit, vel adversus hunc, vel exercitorem eius agere potest. *L. 1. §. 17. de Exercitoria actione*. Si res commodata furto subtracta sit, commodanti electio datur, utrum commodatarium, an furem persequi velit. *L. ult. C. de Furtis*. Scholaribus seu studiosis in *Auth. Habita C. Ne filius pro patre optio datur, velintne apud magistrum suum,*
an

an apud Episcopum conveniri. Is, qui sub modo donavit, si donatarius modum non impleat, aut rem donatam vindicare, aut ad implendum modum agere potest. *L. 1. C. de Donat. qua sub modo.* Denique huc pertinet lex illa antiqua: maior dividit, minor eligit; quam *Seneca lib. 6. Controv. 3. Augustinus de Civitate Dei lib. 12. c. 29.* & ius canonicum in *c. 1. X. de Parochiis* commemorant, elegantissima vero dissertatione illustravit *Georgius Beyerus*, non sine maximo iurisprudentiæ detrimento nuper e vivis sublatus, cuius laudationem, quia brevis esse nequit, hic non instituimus, sed opportunitiori tempori reservamus. Ceterum, etsi in iuribus nostris multa alia electionis exempla occurrant, plura tamen eorum iam non afferemus, cum colligi a quolibet sine magna opera possint.

IV.

In omnibus vero his, quas memoravimus, electionibus regula locum habet: Electio semel legitime facta revocari nequit *c. 21. de Reg. iuris in sexto L. 20. de Optione vel elect. leg. L. 9. de Negotiis gestis L. 84. §. 9. de Legatis 1. L. 112. pr. de Verb. obl. L. 5. C. de Obligat. & act.* Rationem autem, ob quam prohibita est variatio & retractatio electionis factæ, in eo recte ponit *Carpzovius lib. 2. Responsio 32. n. 14.*, quod per electionem ius adquiratur adversario, quod postea eidem auferri non possit. Quare & *ICti Vitembergenses apud Bergerum p. 2. Responsio 181.* nec feminam, cui electio inter duas vineas legata erat, variare & relicta ea, quam iam optaverat, alteram eligere posse, responderunt.

V.

Sed uti ab omnibus iuris nostri regulis, ita ab hac quoque exceptiones dantur. Præcipua est, si ipsa lex potestatem variandi concedat. Ita is, qui usum ædium habet, etsi partem earum iam sibi ad habitandum elegerit, potest tamen mutare voluntatem & in altera parte domicilium constituere *L. 22. §. 1. de Usu & habitatione.* Deinde ius variandi sine dubio competit, si quis illud sibi expresse stipulatus sit, cuius rei

exemplum vide apud *Strykium in Cautelis contractuum sect. 2. c. 4. §. 17.* Porro revocare electionem licet, si ea per errorem & ignorantiam facta sit, ut, si commodans ignorans, rem commodatam furto surreptam esse, commodatarium conveniat, deinde, veritate comperta, hunc relinquere, & furem persequi potest §. 16. *f. de Obligationibus qua ex delicto.* Denique variatio nonnunquam ex natura negotii permittitur. Sic creditor, cui debitor simul fideiussoribus & pignori bus cavir, vel contra debitorem, vel contra fideiussorem agere, vel etiam pignus persequi, & si unam actionem elegerit, ea omissa, ad alteram venire potest. *L. 28. C. de Fideiussoribus.* Pariter creditori generalem hypothecam habenti, utut electa una re, aliam vindicare & persequi integrum est. *Mevius P. 7. dec. 183.*

VI.

Imprimis notabile est variandi beneficium, quod Iustinianus Imperator in *L. 28. C. de Fideiussoribus* creditori, plures correos aut confideiussore habenti, concedit, ut, electo licet uno ex his, actio tamen ei contra reliquos integra maneat. Qua lege ius antiquum, quod secundum *L. 2. de Duobus reis* creditori hanc variandi potestatem adimebat, sublatum est. Sed hic quaestionem inter se Doctores movent, utrum creditori liceat, deserta, quam contra unum instituit, actione, & illo nondum excusso, alterum convenire, an vero hoc casu exceptio litis pendens ipsi obici queat. Sunt nonnulli, qui exceptionem hanc locum habere putant, *Muller de Odio variationis c. 3. §. 13.* & *Stryk in Cautelis contractuum sect. 2. c. 5. §. 16.* At his, qui *L. 28. C. de Fideiussoribus* accurate perpendunt, contrarium sine dubio verius videbitur. Verba Imperatoris: *In duobus reis promittendi constitutum, ex unius rei electione praedictum creditori adversus alium fieri non credentes, sed remanere ipsi creditori actiones integras; manifeste satis ostendunt, voluisse illum plenam eligendi & electionis mutandae libertatem creditori concedere, nec necessitatem imponere, actionem*

actionem ceptam prius ad finem perducendi. Deinde ipsa exceptio litis pendentis eius naturæ est, ut hic locum non reperiat. Ad eam enim ex confessione DD. requiritur, ut eadem utrobique sint personæ. *Martini ad Processum tit. 11. §. 2. n. 448.* Itaque exceptio litis pendentis tertium, cum quo controversia nondum fuit, iuvare nequit. *Mevius P. 7. Dec. 22. n. 2. & 3.* Cetera argumenta vide apud *Salgado in Labyrintho creditorum P. 1. c. 17.* ubi ostendit, creditori varianti & ab uno fideiussore, quem iam elegerat, ad alterum transeunti exceptionem litis pendentis non nocere. Cuius sententiam quoque secuti sunt ICti Helmstadienses, atque ita mense Junio MDIO CCXIV responderunt: Wenn gleich der eine Bürge mit des Gläubigers Bewilligung wäre belanget worden / so hat dieser doch dadurch sein wieder den andern Bürgen habendes Recht nicht fallen lassen / da ja ein Gläubiger / welcher 2. correos oder auch confideiussores hat / wenn er einen von diesen belanget / nichts desto weniger wieder von solchen abtreten / und sich an den andern halten kan.

VII.

Sed animus nobis non est, omnia electionum, quæ in iure nostro memorantur, genera percurrere, & quatenus in singulis variandi potestas competat, considerare. Nos quippe de ea saltem electione dicere constituimus, qua integrum collegium unam ex pluribus personis delegit, quam certo cuidam muneri praficiat. Hæc quatenus revocari & retractari queat, considerabimus.

IIX.

Multi ICti magni nominis eousque progrediuntur, ut non solum, electionem factam quocunque tempore revocari, sed etiam, electum, quamvis munus suum diu iam exercuerit, ab eligentibus pro lubitu eo munere iterum privari posse, existiment. Hæc *Mevii* sententia est *P. 2. dec. 12.*, cum quo *Sande lib. 5. tit. 10. def. 2.* consentire videtur. Distinguunt scilicet inter remotionem & dimissionem ab officio. Alteram aiunt

aiunt non posse fieri sine officialis delicto, atque adeo causa cognitionem & sententiam prerequisite, cum sit species poenæ; alteram libere fieri posse. Vsum est hac distinctione celebre quoddam collegium in responso Senatui civitatis L. dato, quod cum ad illustrandam hanc doctrinam maxime pertineat, nunc inferemus: Haben dieselben anno 1697. D. J. C. S. das Stadt:Physicat ihres Ortes aufgetragen und zu dem Ende eine Bestallung ausgestellt / nachgehends aber / auf vorhergepfogener Deliberation, gedachtem D. S. obige Bestallung aufzukündigen / den Schluß gefasset / solches auch wirklich gethan / und das Stadt:Physicat einem andern / Namens D. G. conferiret. Worauff sich aber ferner begeben / daß D. S. an die Fürstliche Regierung sich gewendet / und daselbst rechtliche Entscheidung gesucht. Wannhero / ob dessen Suchen dießfalls gegründet / Zweifel entstehen will. Ob nun wohl an Seiten D. S. fürnehmlich fürgewendet wird / daß es allhier an erheblichen Ursachen zu Veranlassung einer Veränderung ermangete / ingleichen die Aufkündigungs: Clausul in dem ausgefertigten Bestallungs: Brieffe nicht befändlich / dießemnach er hinweg der von denen Herrn / als dem Stadt:Rath zu G. obiges Stadt:Physicats nicht schlechter dinges entsetzt werden könne / indem die remotio ab officio unter die Straffen mit gerechnet wird / also dazu ohne vorhergehendes Verbrechen / auch / ehe und bevor ein Beamter dessen geständig oder zur Nothdurfft überführet / Leines weges zu gelangen; Dennoch aber und dieweil zwischen einer eigentlichen Remotion ab officio und einer Dimission ein vernünftiger Unterscheid zu machen und mit der letztern es eine gang andere / und diese kundbare Bewandniß hat / daß selbige auch ohne dringende Ursachen / gleichwie von denen Beamten gesucht / also ebenmäßig von denen Constituanten hinweg wohl bewerkstelliget werden mag / gestalt denn dasjenige / was in denen gemeinen Rechten sonst von einem Pacht: Contract und dessen Verbündlichkeit verfassung / auf die Amtes: Bestallungen mit Bestande nicht zu erstrecken / vielmehr in denen selben jedersert die

die Aufkündigung; Clausul ipso iure enthalten; So erscheinet
 dämmenhero so viel, daß die Herrn mit Aufkündigung des Stadt-
 Physicats und D. J. C. S. Dimission gebührend verfahren, dem-
 nach dessen Suchen nicht statt habe. Atque hoc responsum
 convenire videtur *L. 6. §. 6. de Excusationibus* ubi Septimius
 Severus & Bassianus Lælio Basso rescribunt; *reprobari medi-*
cum posse a republica, quamvis semel probatus sit. Quin aliqui
 consilium dant collegiis, ut, si ministro alicui munus auferre
 cupiant, veteranum eum ac emeritum declarent, atque ita
 sub honoris specie dimittant.

IX.

Longe autem fortiora sunt eorum argumenta, qui ne-
 gant, eligentibus ius esse, electum semel & constitutum rite
 officialem, nisi ipse consentiat, sine iusta causa dimittendi &
 munere, quod gerit, privandi. Facta enim legitime, & ab
 electo acceptata electio contractus aliquis & conventio est,
 atque electo ius tribuit, quod invito illi adimi non potest.
 Et licet aliqui sint, qui electionem & collationem muneris
 merum beneficium dicunt, tamen, etsi hoc admiserimus,
 eam temere revocare non licebit, cum secundum veriorum
 sententiam, quam *Rauchbar l. 2. quest. 11.* & *Ziegler. de Juribus*
maiest. lib. 1. c. 12. §. 13. tuentur, nec privilegia ex mera gratia
 concessa sine iusta causa tolli queant. Accedit, quod, si
 electio beneficium est, mere gratuitum tamen esse non possit,
 sed onerosum, cum electus, se vicissim quid præstiturum, pol-
 liceatur. At, beneficia onerosa non posse revocari, omnes
 fatentur. Quod vero ad rationes adversariorum attinet, illæ
 facili negotio refelluntur. Nam quod primo aiunt, ipsum
 electum pro lubitu se officio suo abdicare posse, atque adeo
 idem eligentibus licere debere; negamus, eam facultatem
 electo sine eligentium consensu competere. Cum enim, ut
 diximus, conventio inter eligentes & electum ineatur, neutri
 parti liberum est, eam, invita altera, tollere, & obligationi,
 quam semel suscepit, sine iusta causa renunciare. Vide *Erit-*

B

schium

schium de Resignationibus c. 4. Nec quidquam nobis obest *L. 6. §. 6. de Excusationibus* &, quæ illi consonat *L. 11. §. 3. de Muneribus*. Nam potestas reprobandi electum, quæ ibi civitati & senatui conceditur, non aliter competit, quam ex iusta causa. Satis manifeste hoc apparet ex *L. 2. C. de Professoribus & medicis* ubi Gordianus: *Oratores, inquit, decreto ordinis probatos, si non se utiles studentibus prabeant, denuo ab eodem ordine reprobari posse, incognitum non est.* Clarius vero adhuc id elucet ex *L. 5. de Decretis ab ordine faciendis* ubi Hadrianus Nicomedensibus rescribit, non oportere id rescindi, quod semel ordo decrevit, nisi ex causa, id est, si ad publicam utilitatem respiciat rescissio prioris decreti. Nec auctoritas ICtorum deest, qui nobiscum sentiunt. Ex antiquis nominabimus Hieronymum de Cavallos in *Speculo Opiniorum communium contra communes quest. 425. n. 16. sqq.* ex recentioribus Schilterum *Exerc. ad r. 37. §. 143.* ubi responsum Scabiorum Lipsiensium & decretum Electoris Saxoniae affert, atque in fine addit, dimissionem, deficiente causa, nunquam carere ignominia.

X.

Firma igitur manet regula: electionem factam temere revocari non posse. Dantur tamen causæ, ob quas eligentibus ab electione recedere licet. Quas causas ad quatuor classes referemus. Permissa scilicet est electionis revocatio, primum, quando illa nondum est perfecta, deinde, cum alio quodam vitio laborat, tum ob conditionem vel factum electi, denique ex voluntate superioris. Singulas has classes ordine considerabimus.

XI.

Diximus primum, electionem revocari posse, si illa imperfecta fuerit. Imperfecta enim electio ius dare non potest. Huc referri debet, cum eligentes nondum in unum corpus & collegium congregati, sed seorsum constituti suffragia sua dant, aut alicui, se eum electurum esse, pollicentur. Hi, nisi consuetudo collegii huiusmodi eligendi modum introduce-

roduxerit, ex electione hac aut promissione prorsus non obligantur, sed eam, cum deinde in collegium veniunt, recte retractant & personam diversam ab ea, quam prius destinaverant, eligunt. Hoc enim, ut eligentes in unum conveniant, & de iure civili in *L. 7. §. 10. de Pactis* & canonico *c. 55. X. de Electione* & publicis Imperii legibus *Aurea Bulla c. 1. & 2. §. 4.* requiritur. Ratio eius rei in eo consistit, quod congregati in unum melius de persona eligenda deliberare, atque, si dissentiant, vel in personam minus habilem propensi sint, unus alterum in sententiam suam pertrahere queat. Vide *L. 17. §. 7. de Receptis, qui arbitrium.* Quapropter & communis & iuri atque æquitati maxime conveniens opinio est, in quibuslibet Statuum seu Ordinum provincialium conventibus omnibusque collegiis necesse esse, ut collegarum consensus in ipso collegio fiat, neque sufficiat, collegas omnes seorsim consentire. *Bodinus de Republica lib. 3. c. 7. n. 336. sqq. Klock de Contributionibus c. 6. n. 128. sqq.*

XII.

Imperfecta etiam est & revocationi obnoxia electio, quæ peracta quidem, sed nondum electo denunciata nec ab eodem acceptata fuit. Quæ sententia cum multum dubii plurimosque contradictores habeat, operæ pretium est, ut curatius consideretur. Non desunt, qui a nobis dissentiant, negentque, eligentes ab electione rite peracta, licet electo nondum significata, recedere posse. Ita perhibent *Jo. Honorius ab Axel in Compendio iuris canonici tit. de Elect. n. 16. p. 45. & Schraderus de Feudis P. 10. sect. 10. n. 72.* Aiunt scilicet, ad firmitatem electionis opus non esse, ut denunciatio & acceptatio accedat, sed etiam sine hac electo ius quasitum esse, quod ei temere nequeat auferri. Provocant primum ad *can. 10. dist. 63.* in quo tamen canone nihil videmus, quod contrariam nostræ opinionem stabiliat. Deinde *c. 27. pr. de Electione in sexto* pro se afferunt. Sed & in eo nihil aliud continetur, quam præsitum ab electo, qui superiorem habet, in factam electionem

nem consensum non attendi, nisi & superior ille consenserit. Maioris tamen momenti esse videtur argumentum ex *c. 6. de Electione in sexto*, imprimis autem ex verbis illis: *iure, si quod ei ex sua electione fuerat acquisitum*; desumptum. Verum ex isto capitulo illud saltem elicitur, eligentes, postquam factam electionem electo significarunt consensumque eius requisiverunt, obligari, ut mensem expectent, neque prius ad novam electionem progredi posse. Observari quoque debet, Pontificem dubitanter admodum loqui, *iure, si quod ei &c.* At nobis de eo casu sermo est, cum eligentes in unum quidem consensere, sed consensum illum ante denunciationem electo factam revocant. Hoc utique illis quandocunque licere, dicendum est. Collegium enim eiusmodi instar simplicis personæ est, cuius voluntas ipsam non obligat, sed ambulatoria manet, donec legitime declarata & ab altero acceptata fuerit. Vide *Grotium de Jure belli & pacis l. 2. c. 11. n. 2.* Et hæc sine dubio mens fuit Innocentii III. Pontificis, qui in *c. 21. X. de Electione* ad validitatem electionis tria requirit, primum, ut ea recte celebrata, deinde publicata, tandem consensu electi confirmata sit, additque, per mutuum consensum eligentium & electi vinculum spiritualiter contrahi. Clarius adhuc loquitur Gregorius IX. in *c. 58. X. de Electione: Publicato*, inquiens, *scrutinio, variare nequeunt electores.* Variatio itaque ante publicationem permissa erit. Consentit nobiscum *ICTus summus, Ant. Faber in Codice lib. 1. tit. 2. def. 19. & Zieglerus ad Lancelorum lib. 1. tit. 9. §. 1.*

XIII.

Secundum eandem sententiam ICTi Helmstadienses mense Augusto anni 1710 hunc in modum pronunciarunt: Es geben beydes Kläger und Beklagter vor/ daß sie zu dem Stadt-Musicanten Dienst rechtmäßig erwöhlet worden. Insonderheit führet Kläger vor sich an/ es wären die einstimmigen vota des gangen Raths gleich Anfangs auf ihn gefallen/ wodurch er denn ein ius quæsitum erhalten/ welches ihm die nach

nachgehends von denen meisten Stimmen vorgenommene Aenderung und auf Beklagten gerichtete Wahl nicht benehmen können / worzu ferner komme / daß nicht allein die Mindische Regierung / sondern auch Königliche Majestät selbst die auf ihn gesallene Wahl bestätiget. Wannenhero es das Ansehen gewinnt / ob sey Kläger für rechtmäßig erwehlet zu achten. Alldieweil aber die Wahl allein dem erwehltten kein ius zu wege bringen kan / ehe und bevor ihm solche gebührend kund gethan / und von ihm angenommen worden / folglich denen wehlenden vor solcher Aufkündigung jederzeit frey stehet / die geschehene Wahl aufzuheben und selbige auf einen andern zu richten / hiernächst die aus gebrachten Regierungs- und Königlichen Befehle Klägern nicht helfen mögen / da bekannten Rechten nach dergleichen Rescripta in vim rei iudicatae nicht ergehen / L. 7. C. *Comminationes, epistolae*, über dies selbige durch die letztern Rescripta aufgehoben / und die Partheyen zu rechtlicher Entscheidung verwiesen worden; Diesemnach haben wir / daß die auf Beklagten gehaltene Wahl zu bestätigten sey / erkant.

XIV.

Diximus de electione imperfecta. Nunc de vitiosa loquemur. Nam & hæc licite retractatur. Est autem electio vitiosa, vel ex defectu habilitatis electi, de quo in tertia classe agemus, vel ex defectu formæ, qua de re in præsens. Forma vero deficere dicitur, quoties electio contra præcepta legum & canonum celebrata est c. 42. pr. X. de *Electione*, item, si adversus privilegia Ecclesiæ vel collegii facta sit. c. 10. X. de *Electione*. Imprimis autem huc pertinet electio contra morem antiquum & consuetudinem receptam instituta. Vide L. 7. C. de *Numerariis, actuariis* & DD. ad illam, maxime ad ea verba: *ut consueverat*. Quod enim consuevit fieri, non arbitrarium, sed necessarium est, ut recte observat *Wesembecius* P. 6. *Consil.* 260. n. 11. § 99. ubi de electione contra morem antiquum facta copiosius agit. Ceterum pleraque electionum vitia exponit *Gonzalez Tellez* ad c. 12. X. de *Electione* n. 6. Nos aliqua eorum ordine recensebimus.

Ad electionem rite celebrandam imprimis necessarium est, ut omnia collegii, quod eligit, membra fuerint convocata. Quando vero aliqua eorum omittuntur, nulla est electio, atque ab iis, qui omitti sunt, iuste retractatur. Ita Innocentius II. Pontifex in c. 35. dist. 63. *Quodsi*, ait, *exclusis religiosis, electio fuerit celebrata, quod absque assensu eorum & coniventia factum fuerit, irritum habeatur & vacuum.* Et Innocentius III. in c. 28. pr. X. de Electione: *Quodsi*, inquit, *eos vocatos non fuisse confiterit, sed contempserit, infirmenda erit penitus electio taliter celebrata, nisi postea propter bonum pacis curaverint consentire.* Nec irrita solum electio est tum, cum plura membra in convocatione omittuntur, sed & cum unum saltem, cum secundum eundem Innocentium in c. 34. X. de Electione, *electioni plus contemptus unius, quam contradictio multorum obsistat.* Quin imo electio nulla futura est, si ad eam collega licet inferior & minore reliquis beneficio gaudens non vocetur. Neque enim, ut Gregorius IX. in c. 55. X. de Electione loquitur, excludi potest, qui existit in canonicatus possessione vel quasi, habendo stallum in choro, locum in capitulo. Ex quo fundamento, cum mense Decembri anni 1010 CCIX interrogaretur, an canonicus, qui dimidiam præbendam possidebat, ad electionem Decani a capitulo faciendam vocandus esset, integrumque votum haberet, secundum aientem sententiam propterea, quod canonicatus etiam sine omni beneficio esse possit, c. 11. & 12. de Præbendis in sexto responsum fuit: *Es wird zwar schwehr fallen / den vorgelegten casum in gleichen terminis in iure canonico anzutreffen / weil dasselbe von getheilten und halben Præbenden nichts wissen will / sondern solche in c. s. X. de Præbendis ausdrücklich verbietet.* Unter dessen seynd doch starcke raisons vorhanden. Die fürnehmste ist diese. *Es gestehen alle Canonisten / das ein grosser Unterschied sey zwischen dem Canonicat selbst und der Præbende, oder dem Beneficio.* Jenes kan ohne diesem wohl seyn /

seyh / und mag jemand Canonicus heißen / auch alle functiones und prærogativas eines Canonici besitzen / ob er gleich mit keiner Præbende versehen ist. Ist nun dieser ein vollkommener Canonicus, der gar keine Præbende besitzt / wie vielmehr derjenige / der doch mit einem halben Beneficio versorget ist? Da also derselbe unstreitig ein Canonicus ist / zu der Wahl aber alle Canonici und Brüder / keinen ausgeschlossen / müssen genommen werden / wiedrigen falls solche / wenn auch nur ein einiges ob zwar unteres membrum ausgelassen wird / nichtig ist; So wäre es höchst unbillig / auch so gar für eine Iniurie zu halten und zu vindiciren / wenn man dessen Person übergehen wolte. Wora zu ferner kommt / daß selbiger bisher in andern actibus ein plenum votum gehabt / und also in ruhiger possessio sitet / daraus man ihn auch in gegenwärtigen Fall nicht anders / als durch ordentlichen Proceß, setzen kan.

XVI.

Sed hæc, quæ diximus, an quoque in Cæsaris electione locum habeant, investigandum est. Secundum *Aurea Bulla* c. 1. §. 18. Electoris Moguntini munus est, singulos Principes Electores vocare, quod etiam tam accurate observare solet, ut, etsi ex alia causa in loco electionis præsentibus sint, & electionem instare sciant, literis tamen patentibus hoc eis significare non intermittat, quemadmodum in electione Maximiliani I. contigit, quam Electores Francofurti, ubi comitiorum causa convenerant, susceperunt. Quia tamen in eodem cap. 1. *Aurea Bulla* §. 19. Electores, etiam non vocati, pro fidei suæ virtute, qua sacrum prosequi tenentur Imperium, convenire & Cæsarem eligere iubentur, controversia orta est, utrum unus ex Electoribus, quem Moguntinus non vocavit, electionem factam rescindere queat. Negant alii cum *Vitriario in Institutionibus iuris publ. lib. 1. tit. 6. §. 6.* Alii cum *Limnao ad Capit. Ferdin. III. art. 10. verbis der euidnen Bull n. 21.* & *Schwedero P. spec. sect. 1. c. 2. n. 7.* distinguunt, utrum Elector per negligentiam saltem Moguntini, an vero dolum, contentum

tentum aut odium omittatur. Illo casu nihilominus validam dicunt electionem, hoc irritam. At nos *Reinkingio de Regim. secul. & Eccl. lib. 1. cl. 3. c. 3. n. 20.*, *Rumelino & Mylero ad Auream Bullam diss. 2. §. 17.* & *Auctori des Europäischen Herolds P. 1. p. 100.* assentimus, qui huiusmodi electionem simpliciter nullam esse existimant. Hoc & iuri naturali, & canonico, & monumentis historiarum, & ipsi *Aurea Bulla* convenit, quæ c. 1. §. 21. Electorem tunc demum voce seu iure eligendi privat, si vocatus & requisitus non veniat. Neque obstat nobis, quod Elector etiam non vocatus in *Aurea Bulla cap. 1. §. 19.* admonetur, ut pro fidei suæ virtute, qua sacrum prosequi tenetur Imperium, sponte compareat. Hæc adhortatio enim necessitatem comparandi invocato haud imponit, neque Electorem Moguntinum liberat ab obligatione vocandi, quæ profecto nulla esset, si pro lubitu & sine effectu omitti posset. Accedit, quod recentioribus temporibus locus electioni destinatus frequentissime mutatus sit, atque adeo Elector, nisi invitetur & certior reddatur, quo venire debeat, id ignorare possit. In promptu quoque sunt exempla. Nam, ut de electionibus Aurea Bulla antiquioribus, ut *Conradi III.* quam Saxones & Bavariorum Dux apud *Gothofredum Viterbiensem in Chronico* per subreptionem factam asserunt, quod ad illam vocati non essent, *Philippi*, de qua *Godofredum Coloniensem ad annum 1198.* vide, *Ludovici Bavariorum*, & ipsius Aureæ Bullæ auctoris *Caroli IV.* nihil dicamus, memorabile est admodum, quod accidit in *Maximiliani I.* electione, quæ in *Chronico Carionis* parum accurate cunctis septemvirorum suffragiis & omnibus Electoribus presentibus facta dicitur. Ex antiquo enim de electione *Maximiliani I.* scripto, quod *Freherus tomo tertio Scriptorum rerum Germanicarum p. 17.* exhibet, satis apparet, *Ladislaum Bohemiarum Regem* presentem non fuisse. Quin nec vocatus quidem fuit, ideoque electionem tanquam irritam impugnavit, nec approbavit eam prius, quam consensu Imperatoris & ceterorum Electorum, quibus *Ladislaus* non

non iniuste contradicere videbatur, sub pœna quingentarum marcarum auri puri sanciretur, ne impofterum Reges Bohemiæ ab electione Imperatorum excluderentur, quemadmodum ex Hartmanno Mauro refert *Knichen de Saxonico non provocandi iure c. 1. n. 236.*

XVII.

Illud per se manifestum est, electioni non nocere, si quod membrum collegii inhabile ad eligendum non vocetur. Sic in electione Ferdinandi III. recte omittebatur Philippus Christophorus, Elector Trevirensis, qui ob scœdus cum Gallo, Imperii hoste, initum ipse pro hoste Imperii habebatur atque Viennæ custodia affervabatur. Non tamen quis temere pro inhabili declarandus est, nisi id evidenter appareat. Frequens est in collegiis quæstio, an is, qui uni ex candidatis sanguinis vel affinitatis vinculo proxime iunctus est, ab electione possit repelli. Negari hoc debet propter *L. s. & 6. pr. Quod cuiuscunque universitatis.* Ibi Pomponius & Paulus: *Patris, inquit, suffragium filio proderit, & filii patri; item eorum, qui in eiusdem potestate sunt. Quasi decurio enim hoc dedit, non quasi domestica persona. Quod & in honorum petitione erit servandum, nisi lex municipii vel perpetua consuetudo prohibeat.* Neque aliud in Iure Canonico constitutum est. Quapropter rectissime ICti Vitembergenfes apud *Bergerum in Supplementorum ad Electa Discept. For. P. 1. p. 107.* electionem a Senatu factam irritam declararunt, quod consanguinei & affines alterius candidati ab illa exclusi essent.

XIIII.

Non alienum erit ab hoc loco, quærere, an in casu, ubi de validitate electionis controversia movetur, eligentes, qui illam legitime peractam dicunt, probare debeant, omnia ad illam collegii membra vocata fuisse. Multum hic interest, quis electionem impugnet, utrum unus ex collegis, qui se præteritum queritur, an vero tertius. Si collega se vocatum neget, atque propterea electionem nullam dicat, huic neganti

C

ganti probatio imponi nequit, sed ceteris collegii membris necessitas imponetur ostendendi, electionem ipso vocato legitime fuisse peractam. Quodsi vero tertius, cuius interest, electionem sic factam non esse, ex hoc capite litem moveat, non collegio, sed ipsi onus probandi iniicietur. Cum enim privata instrumenta præsumtionem pro se veritatis, integritatis & solennitatis habeant, *L. 14. C. de Contrab. & committ. stip.* parem certe fidem actus a corpore gesti & documenta desuper confecta habebunt. Nec quidquam nobis obest, quod negantis per rerum naturam probatio non sit. Is enim, qui in electione membra quædam præterita fuisse dicit, non simpliciter negat, & assertionem suam facile per testimonium eorum, quos omisos ait, probare potest. Quin imo sufficiet, breve saltem testatum ab uno eorum impetrare & offerre. Hoc ipso enim præsumtionem, quæ pro integritate electionis est, sic elidet, ut iam necesse futurum sit collegio, illam probare. Quem in modum ICti Vitembergensis mense Augusto anni 1710 CCXI. super electione Syndici responderunt: Daß Klägern vor allen Dingen ihr Vorgeben / daß nemlich der Schluß wegen des ausgefertigten Syndicats in Gegenwart der sämtlichen Raths-Mitglieder gemacht worden / gebührend bezubringen obliegt. Subiectæ fuerunt hæ rationes: Ob wohl Klägere ein mit dem Raths Inseigel bedrucktes Syndicat ad Acta gebracht / dergleichen Instrument aber so lange præsumtionem veritatis und solennitatis, bis das Widerspiel klärlich dargethan / für sich hat / diessennach es das Ansehen gewinnet / als ob Beklagter entweder mit der Exceptione illegitimationis abzuweisen / oder / die Unrichtigkeit besagten Syndicats besser darzuthun / anzuhalten sey; Alldieweil aber zu Aufrihtung eines Syndicats alle und jede membra des Collegii geladen und beruffen werden müssen / und aber in dem fol. 21. befindlichen Attestat unterschiedene Raths-Verwandte / daß sie von diesem Syndicat gar nichts wissen / vorgeben / wodurch denn dessen fides sehr zweifelhaft gemacht wird; So haben

haben wir Klägern die Beschleunigung ihres Vorgehens / daß nemlich alle Raths- membra zugegen gewesen / aufserleget.

XIX.

Illud tamen electionem vitiosam non reddit, quod membra collegii ad eam legitime vocata non comparuerunt. Ipsa enim tunc sibi imputabunt, quod venire neglexerint. Nulla itaque hoc casu absentium ratio habebitur. Ne tamen electio per infrequentiam, ut *Livius* ait, peragatur, providentissime constitutum est, ut minimum duæ tertiæ partes collegii præsentibus sint. *L. 3. de Decretis ab ordine faciendis L. 3. Quod cuiuscunque universitatis.* Sic itidem Icti Vitembergenes mense Ianuario anni 1710. super electione Syndici responderunt: Bey dem neuen von Klägern ad acta gebrachten Syndicat findet Beklagter sonderlich dieses anzusehen / daß ein Theil derjenigen / so doch bey Aufrichtung des ersteren Syndicats gegenwärtig gewesen / bey dem jetzigen aussenblieben. Dieweil aber gleichwohl von denen bey dem ersteren Syndicat gegenwärtig gewesen 114. Personen anjeho 79. und also über zwey drittheile sich eingefunden; So ist solches neue Syndicat vor genugsam gehalten worden.

XX.

Est interdum necesse, ut præter eos, qui ius eligendi habent, alius quoque extraneus vocetur, ut electione intersit. Datum est hoc ius olim Imperatori in electione Episcoporum & Abbatum Germanicorum. Patet id ex Concordato nationis Germanicæ antiquissimo inter Callistum Pontificem & Henricum V. Imperatorem Vornatiæ anno 1100. facta, quod *Abbas Vespergensis in Chron. Baronius & Leibnizius in Codice Juris Gentium Diplomatico P. 1. n. 2. exhibent, in quo hæc reperiuntur: Ego Callistus, servus servorum Dei, dilecto Filio, Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qua ad Regnum pertinent, in præsentia Tua fieri. Habuit idem ius Rex Angliæ, quemadmodum apparet ex consuetudini-*

bus regni apud Clarendunam promulgatis, quas Baronius Anno *MCLXIV.* & Goldastus *Constit. Imperial. tom. 3. n. 246.* recensent, atque hic eas in Comitibus Imperialibus Herbipolensibus a Friderico Imperatore confirmatas esse dicit. Sic autem in earum *capit. 12.* disponitur: *Cum vacaverit Archi-Episcopatus, vel Episcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de dominio Regis, debet esse in manu eius, & inde percipiat omnes redditus & exitus sicut dominicos. Et cum ventum fuerit ad consulendum Ecclesie, debet Dominus Rex mandare potiores personas Ecclesie, & in capella eius debet fieri electio assensu Regis & consilio personarum Regni, quas ad hoc faciendum vocaverit.* Sed hodie & in Imperio nostro & in Britannia faciem rerum magnopere mutatam esse, nemo ignorat. In electione ultima Episcopi Monasteriensis Legatus Cæsareus contra Episcopum Paterbornensem protestabatur, eique, ut loquuntur, exclusivam dabat. At Canonici, hoc ius Cæsari competere negabant, illumque nihilominus pluribus suffragiis eligebant. Qua de re vide *la Relation véritable de ce, qui s'est passé à Munster au sujet, de l' Election de l' Evêque d' aujourd'hui. A Mayence 1707.* Singulare tamen est, quod Auctor *des Remarques historiques & critiques faites dans un voyage d' Italie en Hollande dans l' année 1704.* asserit, Electori Bavarie ius esse, ut ad electionem Archi-Episcopi Salisburgensis vocetur. Sed audiamus auctorem ipsum. Agit is de causis, quæ remoratae sunt electionem Comitum de Harrach, Archi-Episcopi hodierni, in Coadiutorem, atque sic inquit: *Il y avoit un autre egard, qui pouvoit arrêter cette negotiation de la Coadjutorerie. L' Electeur de Baviere est en possession d' envoyer un Commissaire, qui assiste aussi bien, que celui de l' Empereur, aux elections des Archevêques de Saltzbourg, soit pour menager les interêts d'une bonne correspondance entre Princes voisins, ou, comme quelques-uns le disent, en vertu d'un droit acquis sur cette Eglise, qu' on prétend fondée ou enrichie par ses Predecesseurs, aux successeurs desquels il ne compete pas moins, qu' une inspection sur le choix de ses Prélats, & leurs qualitez personnelles. Quoy qu' il en soit,*

soit, le Duc ne manqua point d'écrire, & de faire oïr ses prétentions, & par cela même menacer au moins tacitement, de se ressentir avec le temps, si on procedoit au choix d'un Coadjuteur sans l'assistance de quelqu'un de sa part. In plurimis quoque municipiis & aliis collegiis usu receptum vel constitutum est, ne quæ Consulibus, Senatoribus vel Syndicis electio, nisi in præsentia legati Principis, fiat. Vbi itaque talis lex vel consuetudo extat, electio irrita erit; quæ non vocato eo, qui illi interesse debebat, celebrata est. c. 52. X. de Electione.

XXI.

Quemadmodum vero in electione nemo ex personis ad eam necessariis omitti debet, ita quoque cavendum est, ne quis adhibeatur, qui non debebat adhiberi. Nam & tunc electio vitiosa erit, c. 39. X. de Electione atque recte revocabitur. Id quod tamen sic intelligendum est, si personæ eiusmodi inhabiles ad ipsam electionem concurrerint. Solam enim earum præsentiam electioni nocere, non putamus. Atque in eam sententiam Icti Helmstadiensis mense Augusto anni 1709 ccciv. pronunciarunt: Es thut allhier nichts zur Sache, daß die Zwangiger wieder das Stadt-Reglement zur Wahl gezogen worden / weil / wenn auch deren vota nicht in Betrachtung kommen / gleichwohl der Rath durch die meisten Stimmen den Beklagten gewehlet.

XXII.

Irritam præterea electionem dicunt, cum membra quidem collegii omnia ad illam convenerunt, convocatio tamen ab eo, qui ius convocandi habet, non præcessit. Ita sentit Passerinus de Elect. c. 11. & qui eum sequitur, Böhmerus in Jure Ecclesiastico l. 1. tit. 6. §. 44. qui exempli loco electionem Abbatissæ Quedlinburgensis anno 1709 cccix. a Canonissis, non expectata Præpositæ convocatione, tentatam affert. Neque improbamus hanc sententiam, siquidem ex lege vel consuetudine ius convocandi alicui competat. Tunc enim electio contra morem receptum celebrata nulla erit, quemad-

modum *supra* in §. 14. ostendimus. Quodsi tamen is, qui convocare debebat, officium suum negligat, atque periculum sit, ne collegium diutius differendo electionem aut iure suo plane excidat, aut aliud detrimentum inde sentiat, non peccabunt collegæ, si sine convocatione ad electionem progrediantur. Fecerunt id anno 1101 c. l. Canonici Monasterienses. Quæ res digna est, ut a nobis hic recensatur. Mortuo scilicet Ferdinando Episcopo, Bernhardus Malingrotius, Capituli Decanus, ut in locum eius sufficeretur, optabat, at, quia plerosque canonicorum in se sibi norat, electionem diutius ultra quintum mensem extrahebat, ut vel dissentientes in partes suas perduceret, vel terreret tamen & invicem collideret. Cum autem in canonibus sacris statutum sit, ut ius eligendi vel præsentandi, lapsis sex mensibus, ad Apostolicam sedem devolvatur, Canonici satis intelligebant, Malingrotium non alia de causa electionem differre & tempus legale fere prætermittere, quam, ut vel improvisos tandem occuparet, vel, devoluta ad Pontificem Maximum electione, ipse ab Hoc, aut tamen extraneus quidam, nominaretur. Id ut impedirent, in commune consulebant, atque aliquando in convivio apud Bernhardum de Galen congregati hunc, quasi per modum inspirationis, Episcopum unanimi consensu renunciant, & confirmationem electionis suæ a Pontifice expetunt. At Malingrotius, totum id negotium vitiosum esse, vociferabatur atque Innocentio X, ut is electionem confirmare constanter recusaret, persuadebat. Mortuo vero anno 1101 c. l. v. Innocentio, Fabius Chigi, qui olim in conventu Vestphalico Nuncius Apostolicus fuerat & Galenio nostro familiariter usus erat, Apostolicam sedem occupat, atque electionem Galenii festim confirmat.

XXIII.

Præter convocationem vero & congregationem necesse est, ut in ipsa electione maior collegii pars in eligendum consentiat. Quæritur vero hic, an electio a maiore parte facta

facta propterea revocanda sit, quod minor pars, sed sanior, quæ scilicet ex sanioribus, dignioribus & prudentioribus constat, eam impugnet. Ait Gregorius IX. in *cap. 57. X. de Electione*, ex quo regulam conficiunt Doctores: *Electio ut confirmetur, debet celebrari a maiore & saniore eligentium parte.* Diu ista regula non sine magno incommodo multisque turbis usu recepta fuit. Quoties enim eligentes invicem dissentiebant, hi, qui numero vincebantur, auctoritate se, dignitate & prudentia ceteros superare contendebant. Vicissim maior pars, se saniora habuisse consilia, affirmabat. In finitæ hinc lites, quas sopire difficile erat, oriebantur. Quod cum animadverterent Patres in Concilio Tridentino congregati, optimo consilio in *sess. 25. de Regul. c. 6.* decreverunt, non amplius inquirendum esse, quænam suffragiorum pars sit sanior, sed tantum, quæ maior, dummodo suffragia ipsa sint legitima & persona electa non indigna. Hanc itaque sententiam hodie sequimur non solum in electionibus Episcoporum aliarumque personarum Ecclesiasticarum, sed etiam in secularibus, ut scilicet suffragia non dignitate sed numero æstimentur, quemadmodum I Cui Vitembergenfes apud *Bergerum in Supplementorum ad Electa Disceptationum Forensium P. 1. p. 117. sqq.* responderunt.

XXIV.

Liberrimas esse debere electiones, nemo ambigit. Igitur eæ omnes, quæ vi metuque extortæ sunt, recte revocantur. Revocabant ex hac causa Cardinales electionem Urbani VI. Pontificis, quod se minis atque armis plebis Romanæ ad illam coactos dicerent, quanquam, si *Platina in vita Urbani VI. & Gobelino Persona in Cosmódromio cap. 74. & 75.* fidem habemus, violentia hæc ab illis potius conficta sit, ut severum hunc vitæ morumque censorem a se amolirentur. Sed quidquid eius sit, certum est, eum, qui per impressionem, motum vel seditionem popularem sine iusta & libera electione succedit in dignitate, pro electo non haberi, nihilque eorum, quæ gerit & decernit, etiam signo totius collegii appenso,

penso, ratum esse, sed electionem istam a subiectis, utut
 formidine potentia per tempus aliquod illum superiorem
 agnoverint, deinde tamen, cum liberior aura adspirat, im-
 pugnari posse. *Principatus* enim, ut Leo I. in *can. 5. dist. 61. §. 1.*
 ait, *quem seditio extorsit, etiamsi moribus atque actibus non offendit,*
ipsum tamen initii sui est perniciosus exemplo. Vide *Movinum in*
Juris Lubec. lib. 1. tit. 1. rubric. n. 46. Sed quid si quis a Principe
 contra ius & privilegia collegii obrudatur. Huius quoque
 electio rectissime revocabitur *c. 43. X. de Electione.* Quod
 etiam in electionibus secularibus verum esse, asserit *Colemus de*
Processibus executivis P. 2. cap. 3. n. 356. Sed hoc intelligendum
 est de vi & coactione manifesta. At si quem Princeps com-
 mendaverit saltem eligentibus, isque electus fuerit, electio
 hæc propterea, quod potentes stricto ensè supplicare viden-
 tur, infringi nequit. Sic ratam fuisse putamus electionem
 consulum in comitiis ad commendationem Tiberii factam,
 de qua *Tacitus Annali I. c. 81.* etsi commendatio ista, ut bene
 observat *Boxhornius*, imperii ineluctabilis loco esset.

XXV.

Electio violentæ proxima est turbulenta, quæ etiam
 vitiosa est atque merito retractatur, cum omnis electio secun-
 dum *L. 31. C. de Episcopis* fieri debeat puris hominum menti-
 bus, nuda conscientia, sincero omnium iudicio, & per *can. 6.*
dist. 63. non permittendum sit, turbis electionem facere. Talis
 turbulenta electio est, quæ fit per conspirationem, cum sci-
 licet aliqui ex eligentibus de certa persona invicem conven-
 runt eamque deinde reliquis tumultuose obrudunt. A qua
 tamen electione, quæ per tumultum & conspirationem fit,
 distinguenda est alia, quæ fit per inspirationem, cum scilicet
 electores, nullo precedente tractatu, omnes simul in unum
 repente consentiunt. Quæ electio per inspirationem si quiete
 nec cæco impetu fiat, improbanda non est, maxime, cum
 ius canonicum illam in electione quoque summi Pontificis
 admittat *c. 42. X. de Electione.* At etsi ea per se iniqua non sit,
 tamen,

tamen, ut rectissime *Zegerus Bernhardus van Esphen in Jure Ecclesiastico P. 2. tit. 21. c. 4. §. 9.* observat, sub prætextu huiusmodi inspirationis & divini impulsus sæpissime regulæ electionum præscriptæ negliguntur, & tumultuariis ac præcipitatis electionibus via aperitur. Quod ut *Gregorius XV. Pontifex M.* animadvertit, Bullam edidit, in eaque providentissime sustulit electionem per adorationem, qua Cardinales aliquot eum, cui favebant, in sede collocare, pro more venerari atque exemplo suo ceteros Cardinales invites sæpe ad imitandum compellere consueverant.

XXVI.

Est adhuc alia turbulentiæ & propterea irritæ electionis species, quæ fit ad clamorem populi, quam Concilium Sardinense in *c. 2. X. de Electione* rectissime damnat. Non improbamus equidem omnem electionem, quæ ad preces & voluntatem populi fit. Quin imo laudandi sunt interdum eligentes, si populo virum idoneum modeste poscenti obtemperent. Egregie *Hormisda epist. 4. c. 2.*: *Istam, ait, in sacerdotibus ordinandis servet electionem, ut in gravi murmure populorum divinum credatur esse iudicium: ibi enim Deus, ubi simplex sine pravitate consensus.* Et negare non possumus, multos ex sanctis primæ Ecclesiæ Episcopis istiusmodi electione, quæ cum clamore & tumultu populi coniuncta fuit, ad fastigium illud pervenisse. De *Athanasii* electione Synodus Alexandrina epistola Synodica, quæ in *Athanasii Apol. 2.* reperitur, fatetur, omnem multitudinem populumque in unum coactum clamoribus vociferationibusque postulasse, *Athanasium* Ecclesiæ Episcopum dari, idque publicis votis a Christo expetiisse, & patres, uti facerent, per multos dies ac noctes iureiurando obtestatos fuisse, cum interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, neque Patribus discedendi facultatem permetterent. Similis ferme fuit *Martini*, Episcopi Turonensis, electio, de qua *Salpicius Severus in vita Martini*: *Sub idem, inquit, fere tempus ad Episcopatum Thronica ecclesia petebatur. Sed cum erui a monasterio suo*

D

facile

facile non posset, Ruricus quidam, unius e civibus, uxoris languore simulato, ad genua illius provolutus, ut egrederetur, obruit. Ita dispositis iam in itinere civium turbis, sub quadam custodia ad civitatem usque deducitur. Mirum in modum incredibilis multitudo non solum ex illo oppido, sed etiam ex vicinis urbibus ad seffragia ferenda convenerat. Vna omnium voluntas, eadem vota, eademque sententia, Martinum episcopatu esse dignissimum, felicem fore iali ecclesiam sacerdote. Pauci tamen, & nonnulli ex episcopis, qui ad constituendum antistitem fuerant evocati, impie repugnabant, dicentes: scilicet contemptibilem esse personam, indignum esse episcopatu hominem vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem. Ita a populo sententia sanctoris hac illorum irrisa dementia est, qui illustrem virum, dum vituperare cupiunt, predicant. Nec vero aliud his facere licuit, quam quod populus Domino volente cogebat. Inter episcopos tamen, qui affuerant, præcipue Defensor quidam nomine dicitur restitisse; unde animadversum est, graviter illum lectione prophetica tunc notatum. Nam cum fortuito lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus a populo defuisset, turbatis ministris, dum exspectatur, qui non aderat, unus e circumstantibus summo psalterio, quem primum versam invenit, arripuit. Psalmus autem erat: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & defensorem. Quo lecto, clamor populi tollitur, diversa pars confunditur. Sed hæc electiones, etsi non omnino quietæ fuerint, excusari tamen possunt, quod illo tempore ius eligendi Episcopos cum clero ad populum pertineret, cleri etiam ipsius maxima pars consenserit, neque coacta dici possit. At cum eligentes vel importunis plebis flagitationibus fatigantur, vel metu etiam iniecto adiguntur, ut personam, quam sponte electuri non fuissent, tamen eligerent, huiusmodi electio, libertate recepta, iuste revocatur. Et recte Nicolaus II. Pontifex in *can. d. dist. 79.* eum, qui populari seu militari tumultu sine concordia & canonica electione Apostolicæ sedi inthronizatur, non Apostolicum, sed apostaticum appellat, atque licentiam dat Cardinalibus, eum humano

humano auxilio & studio a sede Apostolica repellendi, & quem dignum iudicaverint, præponendi. Nullum vero in omni historia exemplum, electionis turbulentæ & ad clamorem populi factæ, memorabilius occurrit, quam in Michaelæ Wiesnowiski, Poloniarum rege. Qam electionem optime Comes de Charvagnac, Legatus Lotharingicus, qui ipse illi interfuit, in libello, quem sub nomine des Memoires edidit, p. 301. sic describit: *Le Palatin de Podolie ne crut pas trouver un meilleur expedient pour faire differer l' Election, que de nommer un Piaste, qui est un homme du pays. Comme il sçavoit bien, que jamais la Pologne ne choisiroit un Roy Lituanien, ni la Lituanie un Polonois, ce qui avoit causé autrefois de grands troubles dans l' Etat; il ne douta pas, qu' il ne se fit un desordre, qui feroit differer d' un jour l' election. C' est pourquoy en sortant il alla trouver son Palatinat, leur dit, qu' en venant les joindre il avoit été investi d'un essain de mouches, qui ne l' avoit quitté, qu' en abordant l' Escadron, & que cela signifioit, qu' il falloit prendre un Piaste pour Roi. Aussitôt tout le monde cria Piaste, Piaste; & d' Escadron en Escadron dans un moment on n' entendit autre chose; quelq' un, qui voulut crier Nenbourg, fut sabré dans le moment; d' autres crierent Lorraine, mais le torrent empêchoit d' entendre. La Lituanie se cantonna, mais que pouvoit elle faire? les Polonois estoient quatre contre un. Le Grand Maréchal Sobiesky voyant le tumulte voulut se retirer; mais on lui envoya trois escadrons pour le sabrer, s' il ne revenoit. Le Chancelier Pazzi, qui voulut haranguer, & nommer Lorraine, reçut un coup de mousqueton, qu' on lui tira, & qui lui perça sa robe, ce qui aiant effrayé les autres Senateurs, ces mutins choisirent Michel Wiesnowiski, qui fut aussi indigne Roi, qu' il fut indigne senateur. Ce n' est pas, qu' il ne fût descendu de leurs anciens Rois, mis il s' y attendoit si peu, qu' il croyoit, qu' on se moquoit de lui, & prioit ces gens-là de le laisser en repos. Le Grand-Marechal Sobiesky me vint trouver la nuit, pour me proposer de deirôner le Roy. Il ne pouvoit se consoler de ce malheureux coup: l' Archevêque de Gnesne en étoit au desespoir; mais le Chancelier Pazzi étoit enragé.*

*juger du merite du Roi, puisque personne ne vout le lendemain li
avoir fait.*

XXVII.

Porro Innocentius III. Pontifex clandestinam electionem improbat in *c. 42. X. de Electione*, cuius dispositionis ratio sine dubio in eo consistit, quod, ut idem Innocentius in *c. un. X. ut ecclesiastica beneficia sine deminutione* ait, occulta suspitione non carent, seu, quemadmodum Baldus in *L. 1. C. de Interd. matr.* loquitur, clandestinus regulariter dicitur esse in dolo. Dicitur autem electio clandestina, quæ fit insciis his, qui ad illam vocari vel tamen de ea certiores reddi debebant. Vide *L. 6. pr. de Acquir. vel amit. poss.* Itaque si electio vel ignaro præfide collegii, vel membro aliquo, vel eo, cuius præsentia & consensus de more requiritur, celebretur, vel suffragia ab eligentibus non in unum congregatis, sed dispersis separatim colligantur, vel electio, postquam peracta est, debito modo non publicetur, clandestina erit, atque licite revocabitur. Recte tamen *Vatricus Zasius* tomo 3. p. 124. n. 17. tunc electionem clam fieri posse ait, cum ea facienda est in universitate de aliqua honesta persona, quæ potest esse utilis, sed adest aliquis adversarius eiusdem personæ, qui, si electionem resciscat, omnia turbaturus metuitur. Sed eam sententiam non aliter admittimus, quam, si electio celetur illi, qui, ut certior de illa fiat, ius nullum habet arg. *L. 6. pr. de Acquir. vel amit. poss.* At si eam ad illos, qui debent, extendas, occasio nascetur, excludendi omnes illos, quos partibus nostris adversaturos timeamus.

XXIIX.

Dicendum quoque est de electione, quæ per sortes fit. Improbant eam Honorius III. Pontifex in *c. 3. X. de Sortilegiis & Iustinianus Imperator* in *L. 47. pr. C. de Episcopis & cler.* Nec immerito. *Quid enim, ut Ciceronis verbis ex libro 2. de Divinatione n. 85. utamur, fors est? Idem propemodum, quod micare, lusus digitorum pueris in Italia adhuc hodie satis notus, quod talos*

talos iacere, quod tesseras. Quibus temeritas, & casus, non ratio nec consilium valet. Toia res est inventa fallacis, aut ad quasum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Quapropter, cum hoc fortunæ iudicium fallacissimum sit, recte Gonzalez Tellez in c. 3. X. de Sortilegis contra Glossæ aliorumque auctoritatem asserit, forti ne quidem tunc locum esse, cum duo æqualibus suffragiis electi sunt, nec controversia, nisi forti committatur, facile dirimi potest. Dicit enim nequit, utrumque hunc candidatum a collegio dignum iudicatum fuisse, cum collegium non id, quod media, sed quod maior eius pars sentit, velle intelligatur. Et Honorius Pontifex in *all. cap.* quemcunque fortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnat. Itaque rectius eo casu poterit superior cogere collegium, ut intra certum tempus alium eligat, quod si non fecerit, ipse eliget. Quæ ex sacro Codice, 1. *Paralip. XXV, 5.* & *Actorum I, 26.* pro usu sortium in electionibus sacris afferuntur, cum Deo auctore & directore facta sint, ad exemplum ab hominibus trahi non debent. Sed maior restat controversia, utrum in electionibus quoque secularibus sortes prohibeantur. *Andr. Tiraquellus de Jure primigeniorum quest. 17. Opin. 1.*, ubi ea omnia, quæ de religione & usu sortium ex antiquitatibus colligi poterant, studiose & erudite congestit, n. 15. plurimos nominat, qui prohibitionem fortis ad electiones Ecclesiasticas restringunt, magistratus vero aliosque officiales sorte eligi permittunt. At nos cum illis sentimus, qui, & in his electionibus sortem locum invenire posse, negant. Interest maxime reipublicæ, munera & officia vacua dignis idoneisque viris repleri. At hi constanti animorum iudicio non forte deligendi sunt, quæ in indignissimum quemque cadere potest. Equidem non ignoramus, Romanorum magistratus sorte interdum duci solitos fuisse. At, ut *Tacitus Annali XIII. cap. 29.* observat, id non diu mansit, quia fors deerrabat ad parum idoneos. Igitur rectissime Icti Vitembergenses apud *Bergerum P. 1. Responso 79.* electionem senatoris sorte fieri posse, negarunt.

XXIX.

Illam etiam electio vitiosa & revocanda est, quæ fit sede non vacante, seu vivo illo, cui successor designandus est. Quod quidem in muneribus & officiis sacris dubio caret propter *can. 2. dist. 79. & c. 1. & 2. X. de Concessi. prebend.* Sed cum eadem ratio in officiis secularibus adsit, ad ea etiam hanc prohibitionem recte extendit *Reinking de Regim. secul. & Eccl. lib. 1. class. 3. c. 3. n. 6.* Inducunt scilicet huiusmodi electiones votum captandæ mortis, quod iura nostra tantopere abominantur, & non possunt non summo mœrore afficere illum, qui exuvias suas, se vivo & incolume, distribui videt. Tunc tamen huiusmodi electio irrita non est, cum is, cui successor quaritur, in eam consentit. Igitur in sacris officiis frequens est electio coadiutorum. In Imperio vero nostro Regem Romanorum, vivo sed consentiente Imperatore, eligi posse, omnes sciunt.

XXX.

Electio simoniacam nullam esse, demonstratione non eget, cum nemo facile sit, qui id inficietur. Vide saltem *c. 6. X. de Simonia*, ubi, simoniacam pestem sui magnitudine alios morbos vincere, Lucius Pontifex ait. Non possumus hic, quin iustissimum rigorem laudemus, quo adhuc hodie curia Romana pacta omnia, quæ Simoniam aliquo modo sapiunt, damnat. Luculentum eius rei exemplum nostra ætate vidimus. Post mortem scilicet Maximiliani, Archiepiscopi Salisburgensis, Canonici electionis ergo congregati, pacti erant invicem, ut is, qui eligeretur Archiepiscopus, Canonici singulis supra redditus eorum consuetos D. florenos annuos exsolveret. Neque iniqua videbatur conventio, quod per illam aliqua inter caput & membra æqualitas ac proportio induceretur. Beneficia enim Canonico-
rum prisco tempore instituta nec unquam aucta exigua sunt admodum, cum bona Archiepiscopatu annexa insigne senserint incrementum, maximosque fructus ferant. Inito hoc pacto,

paſto, Ioannes Erneſtus, Comes de Thun, eligitur, promiſſaque per aliquot annos liberaliter exſolvit. Tandem vero Simoniam huic paſto ſubeſſe ratus, negat, ſe quidquam eo nomine amplius erogaturum. Tum Canonici precibus & argumentis contra pugnant, atque Archi-Epiſcopum eo perducunt, ut ſe quidem & impoſterum penſionem iſtam quotannis exſoluturum, non tamen ex neceſſitate obligationis, ſed ex liberalitate, nec ut Archi-Epiſcopum, ſed ut Comitem, polliceretur. At Canonici, qui hunc ſolvendi modum nec honeſtum ſibi ſatis, nec perpetuum fore credebant, iudicio experiri, & aſtione apud Pontificem inſtituta Archi-Epiſcopum invitum ad ſolutionem compellere malebant. Pontifex tamen, qui aliquam in hoc paſto Simoniaẽ eſſi ſubtiliſſimã labem animadvertibat, & rem peſſimi exempli eſſe videbat, conventionem irritam declaravit, & Archi-Epiſcopum ab obligatione liberavit. Quã ſententia optime convenit cum Gregorii IX. conſtitutione in *c. 8. X. de Paſſis.*

XXXI.

Quæſtio huc pertinet, an eligentes ipſi electionem a ſe factam tanquam ſimoniacam impugnare & revocare poſſint. Quod negandum utique eſt, tam ex rectã rationis, quam iuris canonici & civilis principiis. Rectã ratio certe neminem ad teſtimonium ferendum admittit, qui per hoc ipſum teſtimonium ſeſe maleficum atque adeo omni fide indignum declarat. Idem iuri civili congruit, quod ei, qui propriam turpitudinem allegat, credi non debere in alterius detrimentum ſæpiſſime conſtituit. *L. 4. C. de Revoc. donat. L. 30. C. de Tranſact. L. 50. §. 1. de Leg. 1. L. 5. C. de Condiſt. ob turp. cauſam.* Quã regula clariuſ adhuc in iure canonico *c. 8. X. de Donat. & c. 9. X. de Exceſſ. Pralat.* proponitur. Cum itaque ſecundum *Barboſam in Theſauro axiom. 5. voce Turpe teſti falſum 359. n. 31.* iudici in mortis articulo ſe pecunia corruptum iudicaſſe dicenti fides nulla habeatur, nec Canonici, qui electionem

tionem a se factam tanquam simoniacam impugnant, quidquam credendum est.

XXXII.

Electiorem calore iracundiæ factam revocari posse, *Firminus de Episcopo P. 2. lib. 3. q. 35.* asserit, ducto ex voce prorupit, quæ in c. 29. X. de Electione reperitur, argumento. At istud argumentum, quisquis capitulum ipsum inspiciet, infirmissimum deprehendet. Melius ex L. 48. de Reg. iuris desumi potest, ubi, quod calore iracundiæ fit, non prius ratum dicitur, quam si perseverantia appareat, iudicium animi fuisse. At hæc regula, etsi in aliis negotiis admitti possit, in electionibus tamen, cum electi consensus iam accessit & ius adeo illi acquisitum est, locum non inveniet. In iis enim calor iracundiæ tantus esse non poterit, ut intellectus usum eligentibus plane tollat, animumque eorum nebula offuscet. Quapropter potius cum *Ludovico Molina* sentimus, qui in *Commentariis de Justitia & iure* tomo 3. disp. 594. n. 6. electionem ex ira & odio erga unum candidatorum factam tamen valere dicit.

XXXIII.

Illud in facto quæsitum recordamur, an hi, qui in ipsa electione suffragia sua non ediderunt, sed, ut vulgo loquuntur, suspenderunt, ea post factam a reliquis electionem, ad huc edere & minori parti accedere atque adeo hanc maiorem & superiorem efficere queant. Negandum hoc utique est arg. c. 2. de Electione in sexto, ubi illi, qui incerta vota dederunt, iure eligendi ea vice privantur, & ius hoc in ceteros collegas transfertur. Accedit, quod ii, qui suffragia suspendunt, tacite in reliquos compromittunt, ideoque, quod illi fecerunt, revocare non possunt.

XXXIV.

Maius est dubium, an is, qui procuratorem misit eique mandatum de certa persona eligenda dedit, improbare possit electionem alterius personæ, in quam procurator iste consentit.

sensit. Id quod sine dubio potest, cum dominus ex facto procuratoris, qui limites mandati excedit, haud obligetur, *L. 12. C. Mandati.* Tunc tamen obligatur, cum procurator iste, libero ac generali mandato palam instructus, mandatum istud speciale privatim accepit. Speciale enim hoc mandatum eligentibus, qui id ignorarunt, atque generali mandato confisi legatum ad electionem admiserunt, nocere atque electionem eorum irritam reddere non debet. Hæc sententia quoque est *Wicquesfortii*, qui dans *l' Ambassadeur lib. 2. sect. 15: Si l' Ambassadeur, inquit, n' a pas excédé les termes de son pouvoir, bien qu'il ne soit point demeuré dans ceux de son instruction, le Prince est obligé de l' avouer, & de ratifier ce, qui a été negocié en son nom, & en vertu de son pouvoir.* Itaque electio Ludovici Bavari Imperatoris parum iuste apud *Cranzium in Saxonia lib. 9. c. 8.* ideo impugnabatur, quod legatus Waldemari Marchionis suffragium, quod ex speciali domini mandato pro Friderico Austriaco dare debuerat, pro Ludovico tulisset. Quamvis enim peccasset legatus atque reversus propterea recte a domino fame enecaretur, Waldemarus tamen, si modo eum, ut coniiicimus, generali mandato instruxerat, id, quod fecerat, non poterat non ratihabere.

XXXV.

Electionem neglecto more recepto factam irritam & revocabilem esse, supra in §. 14. diximus. At ea consuetudo cum libertate eligendi pugnare non debet. Alias ipsa nulla est *c. 14. X. de Electione.* Fac ergo, per longissimum ac fere immemorabile tempus personas certæ cuiusdam familiæ, gentis, conditionis, collegii electas fuisse. Propterea tamen electoribus facultas adempta non est, relicto vetere more, aliam personam eligendi. Electio enim sine dubio actus liber est. At in negotiis, quæ eius naturæ sunt, nemo sibi uniformiter agendo necessitatem imponere & libertatem tollere censetur. Quapropter & Icti communiter statuunt, in actibus meræ facultatis libertatem præscriptione et si immemorabili non tolli, nisi

E
prohi-

prohibitioni prius ab uno factæ alter se conformarit. Con-
sentit nobiscum *Molinæus ad Consuet. Paris. t. 1. §. 1. gloss. 4. §. 15.*
Nec desunt illustria exempla. Ipse summus Pontifex diutissi-
ma consuetudine non aliunde, quam ex collegio Cardinalium,
assumptus est. Possè tamen & alium, qui hac dignitate non
fulget, assumi, vel ex eo apparet, quod in electionibus suffra-
gia sæpe pro extraneis ferantur. Certe ex historiis concla-
vium, ut vocantur vulgo, constat, in eo conventu, quo In-
nocentius XII. electus est, plurimos in Sfondratium S. Galli
Abbatem consensisse. Imperatorem nobis per tria fere secula
gens Austriaca inconcusso ordine dedit. At posse alium quo-
que assumi, *articulus 2. Capitulationis Caroline* satis indicat.
Eadem controversia in Ducatu Magdeburgico in fine superio-
ris seculi ventilata est. Collegium Ordinum provincie, quod
den engern Nusschuß vocant, collegam sibi assumserat, cuius
electionem Præpositus monasterii, quod *unserer lieben Frauen*
appellatur, impugnabat, seque assumi debere, contendebat,
quod per immemorabile tempus decessores sui collegio asse-
dissent. Fatebantur id Ordines, negabant tamen, sibi per
hoc libertatem eligendi ademptam esse. Et secundum eos
iudicatum fuisse, testatur *Ockel de Præscriptione immemoriali*
c. 7. §. 10.

XXXVI.

Diximus supra, electionem interdum revocabilem esse
propter conditionem aut factum ipsius electi. Quo pertinet
primum, quando indignus aliquis & plane incapax eligitur.
Tunc vero multum interest, sciverintne electores vitium
electi, an ignorarint. Si sciverunt, iure eligendi privantur
c. 7. §. 3. X. de Electione. Si ignorarunt, ad novam electionem
progredi non prohibentur, *c. 26. de Electione in sexto.* Illud
hic disputatur, præsumendumne sit, electorem scientem vi-
tium electi hunc elegisse. Ait *Bartolus.* Negat vero *Molina*
de Iustitia & iure tomo 3. disp. 593. n. 6. & existimat, ignaros in dubio
censendos esse. Cuius sententiam nos quoque tuebimur.

XXXVII.

Non tamen permittendum est electoribus, qui personam satis idoneam elegerunt, electionem, reperto deinde magis idoneo & digniore, revocare. Sufficit enim, quod is, quem elegerunt, non ineptus sit ad illud, cui destinatur, munus, tametsi excellentissimus non sit *c. 10. §. 4. X. de Renunciacione*. Et licet aliqui putent, tunc electionem minus digni irritam esse, cum ab initio statim dignior apparuit, & electores scientes minus meritam elegerunt; nos nihilominus cum *Covarruvia* *tom. 1. p. 489. n. 3.* existimamus, huiusmodi quoque electionem valere, nec revocari posse. Certe *Tridentina Synodus sess. 24. c. 1. & c. 18.* digniorem eligendum esse asserit, ut a peccato sit immunis elector, electionem tamen minus digni factam non rescindit. Et, si permittetur, electiones ea de causa, quod dignior præteritus sit, revocari, electiones omnes maximum discrimen subibunt, & via mille litibus aperietur.

XXXIIX.

Inhabiles autem sine dubio & indigni sunt infames, quibus secundum *c. 87. de Regulis iur. in sexto* portæ dignitatum non patent. In facto autem hic quæsitum recordamur, possitne electio eius tanquam indigni revocari, qui de adulterio suspectus maximisque indiciis gravatus, pendente inquisitione, abolitionem criminis & processus data pecunia redemerent. Urgebatur imprimis contra illum indiciorum & suspicionum gravitas, deinde, quod leges eum, qui super delicto famoso pecunia data transigit, infamia notant. Obtinuit tamen sententia, eum neque infamem neque indignum esse. Nam quod ad indicia & suspiciones attinet, quantacunque illa sint, nequeunt, nisi sententia iudicis accedat, infamiam irrogare. Et si hæc vel maxime accesserit, restitutio tamen Principis, si modo plena est, maculam omnem, quæ per illam adspersitur, abstergit *L. 1. §. 10. de Postulando L. 1. C. de Sententiam passis & restitutis*. Quod si itaque Princeps post condemnationem etiam famam restituere potest, poterit eam multo magis

ante sententiam re adhuc integra conservare. Neque is, qui transigit de delicto famoso, semper existimationem amittit, sed salvam retinet, dummodo transactio iussu prætoris inea-
tur. L. 6. §. 3. de his qui not. infam. Magis ergo retinebit eam is, in cuius transactione auctoritas Principis intervenit. Sic itaque responderunt ICTi Vitembergensës: Wenn gleich die Confirmation der jedesmahls erwählten Raths- Personen anderer Gestalt nicht / als prævia communicatione mit dem Dom- Capitel mit Bestand geschehen kan / und dieses / daß der Raths- stuhl und Stadt-Regiment mit ehrlichen und unbescholtenen Leu- ten besetzt werde / billig zu erinnern hat / hingegen Titius begangenen Ehebruchs halber mit Indiciis ziemlich graviret / und die Sache bis dato nicht untersucht worden; Dennoch aber und dieweil des Ticii von dem Landes- Fürsten / so viel den beschul- digten Ehebruch betrifft / erhaltene Abolition zu Recht aller- dings beständig / durch dieselbe auch nicht etwann nur die ver- würrte Straffe erlassen oder verwandelt / sondern / wie die auß- drücklichen Worte des Abolition Scheines besagen / die ganze Sache sopiret und abgethan / und er alles daher rührenden Ans- spruches erlassen worden / dergestalt diese Abolition conserva- tionem famæ & omnium iurium um destomehr nach sich ziehet / als Titius famam aliaque iura per sententiam noch niemahls verlohren gehabt / und / wie auch diejenigen / qui sententiam iam passi & restituti sunt, ad dignitates & officia honoris allerdinges erwöhlet und zugelassen werden können / also um destoweniger dem Ticio, der des Ehebruchs halber zur Zeit nur beschuldiget / nicht aber verurtheilet worden / solches zu versagen / So erscheinet hieraus / daß dem Dom- Capitel kein Befugnis / der auf den Ticium gefallenen Raths- Wahl zu widersprechen / zustehe.

XXXIX.

Per moram quoque electi electores ius revocandi ele-
 tionem consequuntur. Cuius rei illustre exemplum in
 Alphonso Castiliæ Rege contigit, quem *Mariana de Rebus*
Hispania merito cunctatorem appellat. Is a plerisque Germa-
 niæ

niæ Principibus Imperator electus atque etiam per legatos ad suscipiendum imperium accersitus, dum philosophica quadam seu moderatione seu potius timiditate cunctatur, imperium perdidit, Principibus moræ impatientibus ad novam electionem interim progressis. Id vero investigari debet, quantum temporis indulgendum sit electo, ut consensum declaret, munusque oblatum suscipiat. *Menochius de arbitrariis iudicium questionibus casu 477.* more suo hoc arbitrio iudicis determinandum relinquit. At Gregorius X. Pontifex in *c. 6. de Electione in sexto* mensem definit. Quod spatium deliberandi cum amplum satis sit, in omnibus electionibus servandum putamus. Cum vero electi sæpe superiorem habeant, cuius consensum, antequam electionem acceptant, requiri oportet, magna interdum, cum hic difficilem se præbet in consentiendo, oriuntur difficultates. Sed & hic Gregorius constituit, ut electores electo tempus paulo longius præscribant, atque, nisi intra illud consensum superioris sui obtineat, ad novam electionem procedant. Equidem duriusculum videri poterat, electo invito & sine omni culpa ius, quod ex electione adquisierat, auferri. At cum & eligentium magnopere interest, munus, in quo successorem quarunt, diutius non vacare; necessitas & bonum publicum iniuriam, si quæ electo per revocationem electionis fit, facile excusabunt.

XL.

Denique electiones interdum propter voluntatem superioris revocantur. Id quod tum maxime fit, cum is electionem factam confirmare recusat. An vero superiori ius confirmationem legitime electo denegandi competat, merito dubitaveris. Equidem cum electio vitiose vel personæ inhabilis facta est, tum sine dubio superioris officium est, rescissa huiusmodi electione, personam idoneam vacuo muneri præficere, quæ sententia est *Ziegleri de Juribus maiest. l. 1. c. 29. §. 4.* Sed cum electio rite peracta a collegio, quod ius eligendi habet, personæ etiam electæ nihil obiici potest, rectene

faciet superior, qui ex eo solo electionem rescindit & confirmationem denegat, quod vel electus sibi displiceat, vel alius adsit, cui collatum munus velit. Non putamus profecto. Nam si id licet superiori, ius eligendi, quod collegio acquisitum est, e medio tolletur, atque superior is non confirmationem sed electionem ipsam habebit. Quo certe iniuria manifesta fit collegio. Itaque existimamus, superiorem, nisi potestate sua abuti velit, personæ idoneæ legitime electæ confirmationem denegare non posse. Id quod iuri canonico maxime convenit c. 3. & 14. X. de Electione. Idem sentit Ockel de Prescriptione immemoriali c. 7. §. 12. At superiores non semper potestatem suam intra istos, qui legibus præscribuntur, cancellos coercent, atque adeo in confirmationibus quoque electionum potentia, qua pollent, utuntur. Quin & Icti illis cedere & facultatem revocandæ electionis dare sæpe necesse habent. Vide *Bergerum P. 1. Responso 79. n. 6.*

XLI.

Quia tamen durum est, electioni legitimæ confirmationem sine iusta causa denegare, consulit *Capolla in cautela 269*, ut superior, qui animadvertit, personam sibi ingratam electum iri, electionem inhibeat, atque sic electuros inhabiles reddat; qui, si nihilominus electionem susceperint, nihil agent. Sed ex iisdem, quæ in *precedente* §. attulimus, rationibus æquitas huius quoque consilii, nisi causa inhibendi iusta adsit, in dubium vocari poterit. Interim non negamus, irritam esse electionem contra inhibitionem superioris susceptam. Ita cum Clemens XI. nuper electionem Monasteriensem ad certum tempus prohiberet, Canonici electionem, quam interim celebrarant, ipsi revocarunt, novamque lapsò tempore instituerunt, quæ tamen in eundem, quem ante iam elegerant, directâ fuit. Vide *la Relation veritable de ce, qui s'est passé à Munster au sujet de l' Election de l' Evêque d' aujourd'hui.* Sic cum Imperator per rescriptum anno 11010 CCIV. datum Capitulo Quedlinburgensi, ut electionem Abbatissæ tamdiu, donec ipse aliud

aliud statueret, differrent, capitulum vero nihilominus electionem suscepisset, Imperator anno 1109 CCIX. novum edidit rescriptum, eoque & factam electionem irritam declaravit, & prohibitionem suam iteravit. Qua de re vide *Fabri Statuta Cancellary tomo 13.*

XLII.

In iis tamen locis, in quibus confirmatio superioris ad electionem accedere debet, electus nihil eorum, quæ ad delatum sibi officium pertinent, expedire potest, antequam obtinuerit confirmationem. Et si quid prius gerat, ius, quod ex electione acquisiverat, perdit, *c. 5. de Electione in sexto.* Quæ pœna etiam ad electiones seculares trahenda videtur, quemadmodum & *Brunnemannus Consilio 54. n. 3.* sentit. Administratio enim, non expectata confirmatione, suscepta magnum erga superiorem illum contemptum indicat, & pœnam illam iure meretur. Itaque & hoc casu electio recte revocatur.

BRAVNSI, noster amor, doctæ flos lectæ cateruæ,
 Quam parat egregiis vsibus alma Themis:
 Quid nostras quæris laudes? quid carmina? nostra
 Carmina sunt meritis inferiora tuis.
 Sufficis ipse tibi præco. id tua pagina monstrat
 Docta, tuas laudes littera quæque canit.
 Et proprium nostris decus hanc LEYSERVS Athenis
 Approbat, et cupidis Iulia tota sonis.
 Ipsa tuis fausto Themis adnuit omine cœptis
 Et tibi felicem spondet ad alta gradum.

*genero, virtute atque doctrina florentissimo BRAVNSIO,
 amico suo per dilecto, gratulabundus apposuit*

IOANNES HENRICVS VVERLHOFFVS.

Virtu-



Virtutum quicumque vias *elegit*, & altas
Iustitiæ sedes sedulus usque colit,
Quem vel blanditiæ, tempestatumve procellæ
Vel metus apparens *non revocare* potest,
Hunc fovet ætherei clementior aura tonantis,
Et citius faustum dat tetigisse scopum.
Hunc honor & nullis pignus revocabile seclis,
Mentibus hunc iustis præmia fixa manent.
Hæc quoque, ne dubites, olim, cultissime BRUNSI,
Exemplo poteris constabilire tuo,
Cum tibi pro studiis exantlatoque labore
Patria non vanum conferet alma decus!

*Gratulabundus hæc cum omnigena felicitatis
voto apposuit*

JOH. JUST VOIGT, Wolfenb.

TV quoque victricem conscendis, amice palæstram,
Monstrasque ingenii splendida dona, Tui.
Frigescit sine consueto certamine virtus,
Nec doctrina nisi Marte probata valet.
Applaudo cœptis, certam Tibi spondeo palmam,
Hæc bene pugnantes indubitata manet.

Honoris atque amicitia causa posuit

FRIDERICVS CAROLVS AB HARDENBERG
Eques.

NVlla salus bello pacem te poscimus omnes
Sat te mars duxit. Sed bene Jura colis
Te modo per leges pallas Academica firmat
Proximus Juris Laurea ferta capis,
Oro Deus sanum servet cum tempore canum
Vt studii fructus prospera cuncta feras.

*Nobilissimo Dno. Respondenti amico & commensali
suo æstimatorissimo gratulabundus apposuit*

H. A. BISCHOPINK Monast. Westph.

* * * * *

Helmsedt, Diss., 1714-15

ULB Halle

005 356 75X

3



Vol 18







16029

53.

Q. D. B. V. 1714, 6^a 7

DE
**REVOCATIONE
ELECTIONIS**

*DIRECTORE ACADEMIAE IVLIAE
MAGNIFICENTISSIMO*

GEORGIO LVDOVICO

POTENTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE
REGE ET BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVR-
GENSIVM PRINCIPE ELECTORE

PRAESIDE

AVGVSTINO LEYSERO

IVRIVM IN ACADEMIA IVLIA
DOCTORE ET PROFESSORE
ORDINARIO

PVBLICE DISPVTABIT

**MAXIMILIANVS HENR. IOSEPHVS BRVNS
HILDESIO SAXO**

DIE DECEMBRIS ANNI MDCCXIV.

HELMSTADII,
TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

